UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1713

Q. 67. Quid specialiter notandum sit in Missis Vigiliarum & quarundam Feriarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42624

Visual Library

nis. Nec ideo dicitur, *Credo*, quòd expoſitum ſit venerabile Sacramentum, *S. Congreg.* 2. Decemb. 1684. Nec dicitur in Sabbatho, quando Miſſa legitur de Dominica alioqui omittenda.

Q. 66. *Quandonam dicatur, Ite Miſſa eſt, & Evangelium S. Joannis.* ℞. §. 1. *Ite Miſſa eſt*, dicitur, quandocunque dictum eſt, *Gloria in excelſis*: ſi, *gloria*, non ſit dictum, dicitur, *benedicamus Domino*: tamen in Miſſis *De Requiem* ſemper dicitur, *Requieſcant in Pace*. *Ite Miſſa eſt*, dicitur facie ad populum converſâ, *Benedicamus Domino*, & *Requieſcant in Pace* facie ad altare converſâ. 469.

§. 2. Evangelium S. Joannis legitur in fine Miſſæ, 1. In omni votiva & de *Requiem*. 2. Etiam aliàs ſemper, niſi nona lectio fuerit Evangelium cum Homilia, quod Evangelium tum legitur in fine Miſſæ. 470.

Q. 67. *Quid ſpecialiter notandum ſit in Miſſis vigiliarum & quarundam feriarum.* ℞. §. 1. In Miſſis vigiliarum ſimplicium non dicitur *Gloria* nec *Credo*, licèt *Te Deum* dictum ſit in Officio, quia Miſſa non concordat cum Officio. *Dixi* ſimplicium, propter vigilias Paſchæ, Pentecoſtes &c. 471.

§. 2. Si in vigiliam incidat ſemiduplex, ſecunda oratio eſt de vigilia, tertia de tempore, non, *concede*, quæ aliàs ſecundo loco in vigilia dicitur. 472.

§. 3. In vigilia infra octavam, ſi officium eſt de Octava, Miſſa eſt de vigilia cum commemoratione Octavæ: Si officiũ eſt de alio feſto, Miſſa etiam eſt de hoc feſto cum oratione ſecunda de Octava, tertia de vigilia. Excipe. ſi vigilia. Ss. Petri & Pauli vel S. Joannis venerit infra Octavam Corporis Chriſti, tum enim Miſſa eſt de Octava & commemoratio vigiliæ. 473.

474. §. 4. In vigiliis ſemper dicitur præfatio communis(excipe Epiphaniæ, Paſchatis, Aſcenſionis, Pentecoſtes(licèt ſit infra Octavas habentes propriam utì videre eſt in vigilia S. Joannis occurrente infra Octavam Corporis Chriſti.

475. §. 5. Si vigilia impediatur à feſto digniore, ultimum Evangelium eſt de illa, exceptis feriis Quadrageſimæ vel quatuor temporum, tum enim legitur Evangelium feriæ.

476. §. 6. In feriis Adventûs, ſi reſumatur Miſſa Dominicæ, omittuntur *Alleluja* & verſus ſequens. A Septuageſima ad Quadrageſimam, ſi reſumatur Miſſa Dominicæ, etiam omittitur Tractus.

477. *Q*. 68. *Quid obſervandum ſit, ſi concio habeatur tempore Miſſæ*. ℞. §. 1. Concio habetur ſtatim poſt Evangelium vel poſt *Credo*, ſi dicatur, & Rubricæ vetant, ne habeatur poſt oblationem Quòd ſi celebrans ipſe concionetur, depoſitâ caſulâ & manipulo ſedet ad cornu Evangelii, vel aſcendit cathedram.

478. §. 2. Qui coram Epiſcopo loci ſub Miſſa cantùm eſt concionaturus, circa initium Evangelii genuflexus petit ab illo benedictionem per, *Jube domine benedicere*, oſculatâ Epiſcopi manu, poſtmodum in cathedra facit profundam Epiſcopo, aliis autem capitis inclinationem.

479. §. 3. Si venerabile ſit expoſitum in concione, ſtat nudo capite, niſi velum interponatur ante Sacramentum; aliqui tamen volunt hoc tantùm eſſe obſervandum, ſi concionetur intra Chorum, in quo Sacramentum proſtat, ſecus ſi cathedra ſit in navi templi ſeu infra Chorum, *Lohner*; ſed praxis habet, ſi inter cathedram &

Sacra-